



CONSTANTINVS MONOMACHVS,
 vir Imperatii stemmatis à Zoë in Imperium adscitus, princeps igna-
 uus, & adeò libidine perditus, vt concubinam Sclerenam Habram
 exilii sui sociam, egregia aliò qui forma, vxoris legitimæ loco habue-
 rit, quam efflictim deperibat. Facillimis præditus moribus, & admo-
 dum effeminatis, literas minimè curauit, qui studia vix summis la-
 bris degustauit, magis luxuriæ intentus. Duo sustinuit grauissima
 bella: Primùm cum Georgio Maniace viro animo prompto, manu
 strenuo, gerendòque bello aptissimo: qui à duabus Reginis sorori-
 bus Zoë & Theodora in Italiam missus, bello exacturus, qui eam
 ingressi erant, & à Sclero fratre amatae Cæsaris concubinae multa
 incommoda passus, tanto dolore concitatus, ab imperio defecit, ma-
 gna exercitus parte, tanquàm excellentissimo duci adhærente. Sed
 hic motus, qui ex Italia in Epirum transierat, vna pugna secunda, &
 Ducis Maniacis morte facilè compressus est. Alterum cum Tornio
 Leone gessit: cuius virtus suspecta Regi, & quod vaticinium,
 ipsum aliquando imperaturum audierat, in exilium à Rege missus
 est. Qui ab exercitu comparato Imperator salutatus adiunctis orien-
 talibus copiis Monomacho infestis, ad urbem venit, crebrisque com-
 missis præliis captus, & oculorum vsu priuatus est. Aliud quoq; bel-
 lum gessit, in quo Roxolanos, & Patzinatas, Scythicum hominum
 genus, deuicit. Cùmque ob incontinentiam factus esset podagricus,
 morbusque paulatim auctus, vt pedibus ampliùs consistere non pos-
 set, manusq; vsu suum amisissent, pleuritide etiam correptus, obiit,
 post xii. Imperii annos, & menses viii.

Facies altera Numi huius habet imaginem Saluatoris folio insi-
 dentis, dextra globum, cui Crux imposita, sinistra librum tenentis,